Inf. Quid ergo adversus*) eos agendum est, quibus resistere minime possumus? Def. Illud quod ait Salvator: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in Gehennam. *) contra 3.

IX. Adversus eos, qui dicunt: Non perdet Deus multitudinem praevaricatorum. Inf. Numquid omnes, qui Formosi consecrationem ~~f. 123.~~ nihil esse professi sunt, et in eodem ordine iterum consecrati sunt, ad inferna praecipitantur? Neque enim clemens Deus tantam episcoporum, presbiterorum atque levitarum multitudinem perdet. Def. Quasi Deus ad quarumlibet*) multitudinem vel numerositatem respiciat, et non potius ad eos, de quibus ipse loquitur: Ad quem respiciam, nisi ad humilem et quietum et trementem sermones meos? et in evangelio: Nolite, inquid, timere, pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro, dare vobis regnum. Quid plura? Quod Deus multitudini praevaricatorum, nisi penitentiam egerint, non parcat, audi apostolum Petrum dicentem: Si enim angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in iudicio cruciandos reservari, et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens*), exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponens. item: si Deus ad multitudinem malignorum respiceret, tot milia hominum in deserto terra non prostravisset. Atque utinam corpore tantum, et non animo! unde et in epistola Iudae legitur: Iesus populum Israel de terra Aegypti salvans secundum*) eos, qui non crediderunt, perdidit. Ceterum autem iustitiae praevaricatores imitandi non sunt, iuxta quod Mathathias dicit: Etsi omnes consentiunt regi Antiocho, ego et domus patris mei non consentiemus. Per prophetam quoque

*) quarumlibet 1.

*) ducens 3.

*) secundo 3.